



**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||  
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ  
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens**

**Antverpiae, 1584**

Ex S. Hieronymo Catal. Script. Ecclesiast.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)

# CATALOGI OPERVM TERTVLLIANI.

*Ex S. Hieronymo Catal. Script. Ecclesiast.*

**T**ERTVLLIANVS Presbyter, nunc demum primus post Victorem & Apollonium Latinorum ponitur, Provincia Africa, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari. Hic acris & vehementis ingenij, sub Seuero Principe & Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina; quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiam, quod oppidum Italia est, senem, qui se Beati Cypriani iam grandis ætatis Notariū, quem ipse admodum esset adolescentis, Romæ vidisse diceret, referréque sibi solitum, numquam Cyprianum absque Tertulliani lectioне vnam diem præterisse, ac sibi crebro dicere: Da magistrum, Tertullianum videlicet significans. Hic quum usque ad medium ætatem Presbyter Ecclesiæ permanisset, inuidia postea & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ Prophetia meminit; specialiter autem aduersus Ecclesiam texuit volumina: *De Pudicitia, De Persecutione, De Ieiuniis, De Monogamia, De Ecclesiæ Libros sex, & septimum, quem aduersum Apollonium composuit.* Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exstant, opuscula condidisse.

**EX IOANNIS TRITHEMII ABBATIS**  
*Libro de Scriptor. Ecclesiast.*

**T**ERTVLLIANVS Presbyter, patria Carthaginensis, Africanæ prouinciae, patre Centurione viro Proconsulari, homo acris & vehementis ingenij, tam in diuinis quam in secularibus scripturis doctissimus, quippe qui apud Carthaginem Rhetoricam multis annis gloriòsc docuit. Scriptus Latino sermone penè infinita opuscula, in quibus Hæreticorum errores fortiter contriuit. Huius scripta beatissimus Martyr Cyprianus in tanta veneratione habuit, vt nullum sine eorum lectioне diem præteriret. Dicere enim ad Notarium suum confucuerat: Da Magistrum, Tertullianum videlicet designans. Tandem in errore Montani delapsus dicitur, propter quod eius opuscula inter apocrypha computantur xv. dist. Sancta Romana. Et licet in aliquibus errauerit, in multis tamen benè scripti, sicut eius volumina testantur: de quibus vidi,

<i>De Patientia Dei,</i>	Lib. vnum.	<i>Confiteor ad Dominum Deum.</i>
<i>Aduersus Præxan,</i>	Lib. i.	<i>Variè diabolus amul.</i>
<i>Contra Marcionem,</i>	Lib. 5.	<i>Si quid retrò gestum est.</i>
<i>Contra Iudeos</i>	Lib. i.	<i>Proxime accidit disp.</i>
<i>De Præscript. hæretic.</i>	Lib. i.	<i>Conditionem præsentium.</i>
<i>Contra omnes hæreses</i>	Lib. i.	<i>Quorum hæreticorum.</i>
<i>Aduersus Hermogenem</i>	Lib. i.	<i>Solemus hæreticis con.</i>
<i>Contra Valentianos</i>	Lib. i.	<i>Valentiniani frequent.</i>
<i>De Carne Christi</i>	Lib. i.	<i>Qui fidem resurrectionis.</i>
<i>De Resurrectione carnis</i>	Lib. i.	<i>Fiducia Christianorum.</i>
<i>De Corona militis</i>	Lib. i.	<i>Proxime facta est liberal.</i>
<i>Ad Martyras</i>	Lib. i.	<i>Inter carnis alimenta.</i>